

A D
L E C T O R E M

De meo consilio monendus es, Lector. In hac Anacreontis editione hoc praestiti, aut praestare certe volui. Primum, ut quam emendatissimus prodiret Anacreon, et commode describeretur. Hac in re illustrissimi praefecti aerarii benignitate adiuti, eam libello elegantiam addidimus, quae si plane exquisitissima non est, nec ad veterum splendorem comparanda, huius certe urbis captum superare videbitur. Dein quae dubia erant, strictim quidem, sed diligenter tamen examinaui; quae corrupta et vitiata fuerant, emendare tentavi. Porro autem, vel data occasione, vel arrepta etiam, si cunctantius sequeretur, aliorum scriptorum emendationes adieci. In iis, fateor, paulo frequentior est Hesychius; sed ne quis; hoc eorum causa dico, qui me ignorant; inepta nescio qua ostentatione vel scribendi intemperantia; quod utrumque vitium procul a me est; id factum fuisse existimet, causam aperiam. Studiosos excitare volui, si qui forte sociatis viribus utilissimum illum scriptorem aggredierentur; ipse certe non aspernandam symbolam darem. Habes, quid a me praestitum sit. accipe nunc aliud, quod praestitum non fuit. Decreueram Graeca odaria prosaico sermone conuertere, qui scirem in ea versione, quae carminis necessitate et metri vinculis adstricta sit, multa esse duriora et obscuriora; quaedam etiam non satis perite aut intellecta, aut conuersa; sed amici, in quorum potestate esse soleo, per epistolas dehortati sunt; rationes afferrem, si tanti ea res foret. Parui itaque, sed, ut id dicam quod res est, ἐκὼν ἀκροντὶ γε θυμῷ. illam enim interpretandi rationem nunquam probaui; quippe quae doctis hominibus non necessaria, semidoctis autem paene inutilis sit, nonnunquam etiam obsit propter intricatam impeditamque obscuritatem, quam nemo interpret, quantacunque utatur diligentia, vitare possit. Vale. Salmurii. M. DC. LX.